

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Kleinschmidt

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis. Johannes Kleinschmidt I.
Doct. & Prof. Ad Exequias, Quas Virgini lectiſimae Annae Schönlowen/ filiae
dilectiſimae Vidua mater hodie paratas cupit ... Omnes Academiae Cives, invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423561>

Druck Freier  Zugang



Kleinschmidt, J.,

in

A. Schönlöw.

Rost. 1637.

33.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777423561/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423561/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn777423561/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423561/phys_0003)

DFG

PROGRAMMA

100

QUO

Rector Universitatis Rosto-
chiensis.

JOHANNES

Kleinschmidt J. Doct. & Prof.

AD EXEQUIAS,

Quas

Virginis letissima

Annae Schönlowen.

Filia dilectissima

Vidua mater hodie paratas cupit hor. med. 12
pomerid. in Templo S. Virginis.

Omnes Academia Cives, inv.



ROSTOCHI,
Literis NICOLAI KILI. Acad: Typograph.

ANNO MDC XXXVII



53



E supremo die mundi
Servator noster nudius tertiana
concone fideliter ac serio nos
monet, hortaturq; sedulo, ut
videamus etiam atq; etiam, ne
nos ista lux incautos & securos
opprimat. Ut enim in excubiiis constituti mili-
tes, oculis inconnivis omnia observant, somnū
sibi obrepere non patiuntur, auribus arreclis
captant strepitum, ad ventos mobilium & sibi-
lantium foliorum in arboribus, seu virides ru-
bum Dimovere lacertæ; quasi præsentem ho-
stem statim inclamant, & sollicite carent, ne per-
dolum ac tenebras & ipsi cautores capiantur, &
suis partibus periculum oriatur : Ita omnibus
piis & servatoris adventum exspectantibus cau-
to opus est, quam maximè, ne inter luxum, ava-
ritiam, voluptates rerum damnosissimarum la-
queis constricti & compediti deprehendantur,
& infernali aucupi instar infelicium avicula-
rum, uno jactu rem omnem solvere cogantur,
& eo loco, unde negant redemptionē esse, æter-
nam noctem perpetuo unam dormiendam for-
tiantur.

tiantur. Has excubias ut possimus obire tanto re-
ctius, & ex vitiis istis nascentē securitatem excu-
tere, præter alia, si recte iis utamur, alexipharma-
ca, bella, famē, cōtagiosos & malignos morbos
Deus non minatur solū, sed immittit quoq;. Vi-
demus & jure perhorrescimus incredibilem istā
pecoris, non ruri tantum, sed in ipsa etiam urbe
editā stragem, ex qua quid hominibus porten-
datur, quid iis metuendum, & exspectandum sit,
facile videat, vel noctua ad lucem cæcutiens.
Quo magis dolendum est, inveniri etiam nostro
in ordine corda, DEI, divinæ admonitionis, pie-
tatis, honestatis, legum ac disciplinæ rectæ, adeo
oblita, ut his omnibus contemptis audeant os
in cœlum ponere, ut S. S. loquitur, audeant ipsi
D E O, legibus, & magistratui medium digitum
ostendere, securitatem suæ saluti exitiabilem, af-
fectare, ac se hosti generis humani, ut nervis alic-
nis ligna mobilia, movendos, agendos, utendos
ac pro lubitu tractandos, furiose committere.
Alii contra Sp. S. ductum secuti, vident quan-
tum periculi in hac securitate sibi propositum
sit, & ob oculos positis ex omni genere exem-
plis, veternum istum animo excutiunt, & Serva-
toris adventum, piis at vigilantibus desiderabi-
lem, diversis formidabilem exspectant. Quam e-

A 2

nim

nim securitatem sibi polliceantur senes, qui
quanto sunt fato suo propiores, tanto attentio-
res ad hanc rem esse debent? Quam juvenes, qui
licet videantur à periculo remotiores, tamen a-
dolescentis in florentissima ætate constituti, ex-
emplo nupero edocti sunt, juvenes etiam vocari
ad ista comitia, & ad rerum sive reæte sive per-
peram gestarum rationem reddendam compelsi.
Quin etiam eadem ex familia adolescentulæ
virginis exemplum hodiernus dies nobis exhi-
bet, iisdem ex ædibus ad sepulturam ferendæ, ex
quibus ante octiduum vidimus fratrem ejus e-
latum, quem ista nunc sequitur. Est ista A N N A
S C H Ö N L O W, nata hac in urbe Rostochio, An-
no servatoris nostri millesimo sexcentesimo
decimo nono Mensis Junio: patre quidem cla-
rissimo & consultiss. viro Dn. A L B E R T O
S C H Ö N L O W I cto, p.m. matre verò M A R-
GARETA G U S E B E H R vidua mœstissima,
cujus, tertio hoc vulnere percussæ ac sauciataæ,
fatis haud ordine euntibus, merito vicem dole-
mus, Avus ei paternus A L B E R T U S S C H Ö N-
L O V I U S primarius Reipub: Paderbornensis ci-
vis in Westphalia, Avia materna, A N N A M E I-
J E R A N, matrona pietatis & honestatis stu-
diofissima, Avus maternus Vir Ampliss, & pru-
dentiss;

dentis: Dn. HENRICUS GUSEBEHR p. m.
Senator hujus Reipub: graviss; per annos pluri-
mos: Avia materna ANNA NETLENBLADS,
matrona virtutum ei sexui convenientium stu-
diosissima. Isto igitur anno, ex istis parentibus
& majoribus orta puella virgo, quæ Servatori
suo promiserat, in lavacro regenerationis ac re-
novationis, ea ut suo tempore præstare posset, fi-
deliter à parentibus educata, instituta & erudita
fuit. Ut primum potuit, non initia solum pie-
tatis memoria est complexa, nec in ore tantum
& bucca gessit, sed à teneris exercere & facto o-
stendere coepit, se piam & vere Christianam esse.
Grandiuscula didicit, quæ ad rem familiarem
struendam, ad officia virginis honestæ conveni-
entia, ad sui lexus decus & ornamenta pertine-
bant, eaq; gnaviter ulu quotidiano expressit.
Matri quidem assidua in itinere ad templum co-
mes, in concione attenta, modesta domi forisq;
laborum domesticorum socia, ubiq; parentibus
obediens & obsequiosa. Capiebant parentes ex
ista pietate, virtute & officiosa obedientia læti-
tiam, qualem & quantam capere verisimile est,
qui liberos obsequentes & optant, & voto suo
potiti habent, præcipue pater, qui in se quod se-
nectuti vicinus jam esset, verū esse sensit, quod

A 3

Iphis

Iphis apud Scenicum Philosophum de se profi-
tetur, cum dicit, patri seni nihil dulcius esse, quā
sit filia, filiorum quidem animos esse generosio-
res, minus verò dulces ad blanditias. Sed hanc
filiæ observantiam qua patrem prosequebatur,
fatum, quo ante annum is functus est, sustulit, &
ut conjugi viduæ mœrorem, sic filiæ, cultus in
se collati partem, deinceps matri conferendam,
contulit. Ne ibi quidem officio suo defuit pia
& officiosa filia, sed eo majori cultu & amore
prosecuta est matrem, quo majori in luctu eam
ex dilectissimi patris obitu destitutam videbat.
Accessit nuper & fratris obitus, qui, ut matri a-
cerbissimus fuit, ita huic nostræ jam sentienti
incipientem ægritudinem, ad morbi incremen-
ta non parvam accessionem contulit: ita ut
octavo die Decembr: hora nona vespertina fra-
trem secuta, piè ac placidè exspirarit. Non du-
bium est quin mater & vidua mœstissima, hoc
filiæ dilectiss: immaturo discessu, magnum do-
lorem conceperit; verum iste leniendus est, pri-
mum consideratione voluntatis divinæ. Quid
enim est, quod Christianis piis ac in Schola Spi-
ritus S. informatis, præter, ne dicam, contra DEI
voluntatem eveniat, cum ne passer quidem, sine
ejus voluntate in terram cadat, imo ne pilus
qui-

quidem è capite. At quid vilius passerculo & pilo ? Deinde vitæ nostræ levissimam & placan-
vanam conditionem tali in casu nobis merito
ob oculos ponimus, quæ non permittit nobis
spes longas inchoare : & ista consideratio nobis
eo commendatione esse debet, quod horū tem-
porum pericula accedunt, quibus qui placido
ex hac vita discessu eripiuntur, gratulandum
potius est, quam condolendum. Quid enim ?
anon eripiuntur multis ea, quæ ipsis etiam li-
beris cariora esse debent, Religionis & cōscien-
tiæ libertas, ipsa patria, honores in ea gesti. At
ipsius filiæ vicem dolebit mater, quam honestissi-
mo conjugio destinarat, liberos ut ex ea floren-
tes videret, non solum qui essent fulcra familiæ
sed etiam solatia, & præsidia in rebus adversis.
Quam multa verò sunt, hoc præsertim tempo-
re, quæ spem istā præsecent ? Audimus cruentas
florentium familiarum eversiones, matronarū
& virginum stupra, indigna honestis personis
ludibria ; alia deniq; dictu foeda, auditu horren-
da, perpeccu aspera. Quorum quotidiana ex-
spectatione, (nostra enim res agitur cum proximus
paries ardet,) an spem adeo dubiam emere
consultum sit, dubitamus. Quare Cives Aca-
demici & hæc ipsi consideremus, & ut mœstissi-
ma vi-

mæ viduæ, matri ac toti honestissimæ familie,
tanto plus consolationis adferamus, ad exequias
honestissimæ virginis frequentes conveniamus,
facturi officium quod nobis, Christiana impe-
rat pietas, vitæ nostræ fragilis conditio suadet,
imo necessitas à nobis postulat, siquidem alia ra-
tio nulla est, quāam ut hac etiam occasione, à Deo
veniam precemur commissorum, & poenam iis
debitam corde verè poenitenti deprecantes, à
nobis avertamus, deniq; nostræ mortalitatis
memores æternitatem cogitemus. P. P. Ro-
stochij, sub sigillo Rectoratus, Anno
1637. die 12, Decembr.

*Conventus fiet in templo S. Virginis hodie
hora media prima pomeridiana.*








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777423561/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423561/phys_0016)



quidem è capite. At quid vi
pilo? Deinde vitæ nostræ lev
vanam conditionem tali in ca
bo oculos ponimus, quæ nor
spes longas inchoare: & ista co
eo commendatior esse debet,
porum pericula accedunt, quæ
ex hac vita discessu cripiunt
potius est, quam condolendu
anon cripiuntur multis ea, c
beris cariora esse debent, Reli
tiæ libertas, ipsa patria, honor
ipsius filiæ vicem dolebit mate
fimo conjugio destinarat, libe
ties videret, non solum qui es
sed etiam solatia, & præsidia.
Quam multa verò sunt, hoc
re, quæ spem istā præsecent? A
florentium familiarum eversi
& virginum stupra, indigna
ludibria; alia deniq; dictu foec
da, perpetuū aspera. Quoru
spectatione, (nostra enim res a
mus paries ardet,) an spem ad
consultum sit, dubitamus. C
ademici & hæc ipsi considerem



the scale towards document

0.3 L

Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.